



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1860**

CCXXXV. Siegfried, Bischof von Camin, bestätigt die Vermehrung der Besitzungen und Einkünfte eines Altares in Königsberg, am 1. Januar 1430.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

CCXXXV. Siegfried, Bischof von Camin, bestätigt die Vermehrung der Besitzungen und Einkünfte eines Altars in Königsberg, am 1. Januar 1430.

Sifridus, Dei et Apostolice sedis gratia Episcopus Caminensis, ad perpetuam rei memoriam. Debitum nostri officii exequimur, cum ea, que nostre confirmationis ordinarie munimine indigeant, per literarum autoritate stabilimus. Sane vidimus patentes literas honorabilis Viri Henningi Brandenburg, Civis oppidi Königsbergensis nostre Diocesis, sanas et integras non vitiatas non cancellatas sed omni suspicionum vitio carentes, eius vero sigillo sigillatos sub hac verborum forma: Reverendissimo in Christo Patri et Domino, Domino Sifrido, Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopo Ecclesie Caminensis, Henningus Brandenburg, civis oppidi Königsberg, vestre Paternitatis Diocesis, humilium servitorum subiectionem cum humili capitis inclinatione assidue prescriptam. Reverendissime Pater et Domine mi gratiose. Cum enim omni cum studio contendere debemus in bonis operibus in continentia et castitate, in vigiliis, in ieiuniis, in orationibus in elemosinarum largitate, in benignitate, in mansuetudine, in patientia, in suavitate, in hospitalitate atque in omnium pauperum cura, sive omnium bonorum operum perfectione, ut de nobis dici possit, quod Psalmista ait: Ibunt de virtute in virtutem, quare vix in die ieiunii unicuique opera sua bona suppetunt. Non enim divitie, neque vanitas mundane glorie, sed opera nostra sequuntur. Sane hec animadvertens cum piarum elemosinarum largitione divinum cultum augmentare desiderabiliter cupiens pro salute anime mee uxorisque mee ac progenitorum nostrorum, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei sueque matris gloriosissime virginis Marie nec non Beatorum Jacobi et Philippi Apostolorum do, deputo et assigno XXV. marc. super quadam domo jacente in platea Iudeorum in Königsberg pro augmentatione reddituum vicarie consecrate in honorem Sanctorum Jacobi et Philippi situate in parochiali Ecclesia civitatis antedictae vestre paternitatis Diocesis, sic, quod qui domum inhabitat duas marcas perpetue eidem Vicario perpetuo singulis annis in die S. Martini solvet. Quare paternitatem vestram Reverendissimam deprecans precibus studiosis, ut supra dictam viginti quinque marcarum donationem, ut jam fundatam vicariam additam ob divine remunerationis intuitum meorumque servitorum ob respectum confirmare dignetur, approbare et ratificare, supplicansque humiliter et devote, quatenus ad sepedictam donationem prefate vicarie additam, honorabilem Virum, Dominum et Magistrum Henningum Settegropen instituere dignetur, quem vestre Reverendissime Paternitati presentibus duxi presentandum, in quorum omnium et singulorum testimonium evidens presentes duxi communiri proprio sigillo subappenso sub Anno Domini MCCCCXXIX. ipso die Sancti Thome Cantuariensis. Nos igitur Sifridus Episcopus prefatus predictis supplicationibus ex radice charitatis tam Dei quam proximi gratiose inclinati, nolentes huius modi reddituum foundationem, donationem ac alia et singula in premissis suis literis contenta, suo frustrari effectu, sed quantum in nobis est ea autoritate nostra ordinaria ratificamus, approbamus et in Dei nomine confirmamus per presentes, iure tamen ordinario Nobis, Ecclesie nostre et successorum nostrorum plene reservato, inhibemus utriusque sexus Christi fidelibus sub anathematis, excommunicationis summe et eterne maledictionis penis, ne quisquam cuiuscunque status, gradus, conditionis aut preeminentie existat premissa infringere, aut eis ausu temerario contraire vel ea alienare, aut ad usus profanos revocare audeat vel presumat, quomodolibet quesito colore, sicuti preter has penas indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius ac canonicam



voluerit evitare ultionem; Vobisque Dno. Magistro Henningo Settegropen eisdem redditus XXV marcarum tum spiritualium ac temporalium administrationem committimus et conferimus in animam vestram salubriter gubernandam. Mandamus Vobis Dominis Presbyteris presentibus requisitis, quatenus prefatum Dominum et Magistrum Henningum in possessionem dictorum reddituum autoritate nostra ordinaria ducatis corporalem et realem facientesque id et nulli alteri de premissis redditibus integre. Datum Stetini, Anno Dni. MCDXXX, prima die Januarii nostro sub secreto presentibus appenso.

Rehrberg 1, 97. (Original im Königsberger Stadtarchiv Nr. 193.)

CCXXXVI. Johann Schlichtekam setzt zur Stiftung eines Altars zu Malchin gewisse Kapitalien und Einkünfte aus, am 25. Januar 1433.

Coram vniuersis et singulis cristifidelibus presencia visoris, auditoris et intellecturis Ego Johannes Schlichtekam, perpetuus vicarius Malchinensis, publice recognoscendo profiteor, Quod alias ad honorem omnipotentis dei sueque matris gloriose virginis marie Beatorumque Bartholomei apostoli, laurencii martiris et margarete virginis dedi — ducentas marcas monete vinconensium et XVIII marcas redditus eleemosinarios inde provenientes in opido Malchin Caminensis diocesis deifice comparatos Ad perpetuas elemosinas ecclesiasticas. In summa centum et LX marcarum redditus Johannes Mentlike Consul Malchynensis tenetur obligatus, pro eisdem impignorauit quatuor iugera agrorum extra valuam wargenthin premissi opidi Malchin iacentia, Item in summa centum marcarum et IX marcarum Redditus Bernardus et Nicolaus fratres conducti Strelow tenentur obligati, pro quibus mater carnalis ipsorum, vxor legitima antedicti Johannis, ad eorum vtilitatem impignorauit quinque iugera agrorum extra eandem valuam iacentia. Et sepedictus Johannes Mentlike pro se et pro dictis fratribus bernardo et Nicolao vna cum suis veris heredibus XVIII marcarum redditus promisit exsoluere effectiue, prout ista omnia et singula ampliori modo in scriptis continentur. Insuper pro fortiori diuini cultus aumento Ego Johannes Schlichtekam prelibatus Ad huiusmodi summam ducentarum et XVIII marcarum redditus matura deliberatione prehabita appono et assigno sexaginta marcas eiusdem monete. In triginta et trium marcarum redditibus tenetur obligatus Nicolaus lewezow in gurzendorp residens. Item triginta marcas locauit ad depositum apud dominum hinricum peynen; officialem generalem. Sic quod de eisdem trium marcarum redditus in premissis opido Malchyn comparentur effectiue. Rursus desidero et fieri volo quod statim post obitum meum et mei compermutatoris ex prenominata summa ducentarum et sexaginta marcarum summe principalis vnacum XXVIII redditibus In ecclesia seu capella contigua Malchinensi erigatur vna perpetua vicaria de licentia domini plebani ecclesie eiusdem Et quicumque liberaliter per veros patronos ad redditus huiusmodi presentatur, Ille onus construendi novum altare sine contradictione assumat, consecrationem eiusdem infra terminum sub suis sumptibus procuret effectiue vel alias, Si locus edificandi noui altaris ibidem non vacaret, tunc de voluntate domini plebani eandem vicariam ad aliud altare iam constructum et dedicatum